AUTHOR:

PAGENSTERT, CLEMENS

TITLE:

QUAE A PACE BRUNDISINA AD INITIUM...

PLACE:

MONASTERIENSI

DATE:

1891

Master Negative #

93-81351-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Pagenstert, Clemens

Quae a pace Brundisina ad initium belli Siciliensis a. XXXVIII inter Octavianum et Sextum Pompeium exorti rei publicae Romanae fuerit condicio
Monasteriensi 1891

No. 2 of a vol of dissertations

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5-7-93 INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202






Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUAE A PACE BRUNDISINA AD INITIUM BELLI SICILIENSIS A. XXXVIII INTER OCTAVIANUM ET SEXTUM POMPEIUM EXORTI REI PUBLICAE ROMANAE FUERIT CONDICIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CLEMENS PAGENSTERT

OLDENBURGENSIS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXX.

CARISSIMO PRAECEPTORI

BERNARDO NIEHUES

SACRUM.

Sub finem a. XL a. Chr. n. Octavianus et Antonius triumviri Brundisii pacem composuerunt his condicionibus:

I. Antonius orientem, Octavianus occidentem accipit constituto dicionis utriusque limite urbe Scodra in Illyrico sita [1].

II. Lepido Africa relinquitur [2].

III. Domitius Aënobarbus ab Octoviano eisdem condicionibus recipitur, quibus ab Antonio receptus est [3].

---

[1] Appiani de bello civili V, c. 65. Dionis Cassii historia Romana 48, 28. Plutarchi vita Antonii 30. Zonarae annales X, 22. Cfr. Hor. Sat. 1, 5 Vell. Pat. II, 76.

[2] App., Dio, Plut., Zon., ll. cc.

Iam illo foedere a. 42 apud Philippos inito Lepidus neglectus erat. Non solum ei provinciae Hispania et Gallia Narbonensis ademptae erant, sed etiam Octaviano mandatum erat, ut de Lepido, cui tempore belli Philippensis Roma commissa erat, inquireret. Incusabatur enim ille, quod Sexto Siciliam obtinenti proderet res sociorum. Si falsa deprehenderetur haec incusatio, Africa Lepido traderetur; sin Lepidus reus esset criminis, Antonius Africam, Octavianus Numidiam acciperet. (App. V, 3. Dio 48, 1—2. Zon. X, 21.) Haec incusatio ficta esse videtur. Nam revera Octavianus in Italiam reversus Lepido tradidit Africam (App. V, 12, 53), id quod a triumviris pace Brundisina iterum comprobatum est. Cfr. Brüggemann: De Marci Aemilii Lepidi vita et rebus gestis p. 52, 53. Quod Niebuhr (Vorträge über römische Geschichte III p. 103) affert, doch sollte Lepidus Africa, ohne Zweifel auch Sicilien und die Inseln zwischen Africa und Sicilien haben, omnino reiciendum est. Nam nullus exstat auctor, ex quo id erui possit. Immo ex omnibus, quae Octavianus posteriore tempore cum contra Sextum Pompeium tum contra Lepidum suscepit, Octavianum Siciliam sibi iure deberi existimasse, satis intellegitur. Ut exemplo utar, pace Puteolana anno 39 inter Octavianum et Antonium et Sextum composita Sicilia Sexto Pompeio conceditur nulla mentione facta hanc insulam Lepido ademptam esse.

[3] App. V, 65, Dio 48, 29. Domitius Aënobarbus partes Bruti et Cassii secutus et a triumviris proscriptus tempore belli Philippensis mare Ionium

IV. Utrique imperatori licet delectus habere in Italia pari legionum numero [1].

V. Bellum contra Sextum [2], nisi forte pax convenerit, Octaviano mandatur, Antonio Parthicum.

Pace Brundisina magnum discidium, quod bello Perusino inter

obtinuerat; ubi devictis quoque Bruto et Cassio, cum Statius Murcus Sextum petivisset, permanserat oras Italiae devastans et frumenti commeatum ab Italia praecludens (App. V, 2, 26. Vell. II, 72. Dio 48, 7 cfr. Sueton Nero 3). Deinde auctore Asinio Pollione cum Antonio ex Asia reverso reconciliatus (App. V, 50, 55. Dio 48, 16. Vell. II, 76) initio quidem ab Octaviano reprobatus, sed cogente rerum necessitate postquam Antonius eum in Bithyniam misit, ab illo quoque in pace Brundisina receptus est. (App. V, 60—65. Dio 48, 29). Quae reconciliatio demonstratur stella Octaviani nummis Domitii ab a. 40 impressa (Cohen, Médailles consulaires p. 125). — Cicero 2, Phil. 11 et Dio 48; 7, 29 Domitium Aënobarbum inter interfectores Caesaris enumerant. Hoc non est verisimile. Et primum quidem Appianus V, 55, 59 culpam Domitii integram et ambiguam reliquit, Suetonius (Nero 3) vero et Cocceius Nerva (App. V, 62) eam omnino denegarunt. Deinde de Domitio neque mentio fit ab illis auctoribus, qui de morte Caesaris tradiderunt, neque Domitius inter illos invenitur, qui coniurati in Capitolium venerunt. Praeterea ex ipsa abolitione proscriptionis elucet, eum non fuisse inter interfectores. Octaviano enim erat certissime propositum neminem ex percussoribus patris in gratiam recipiendi, itaque Domitium quoque non restituisset, si revera percussoribus fuisset annumerandus. Cfr. Drumann, Geschichte Roms in seinem Uebergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung nach Geschlechtern III, p. 25. — Ex Dione 48, 29 intellegitur, non solum Domitium Aënobarbum, sed etiam alios proscriptos, qui ex bellis Philippensi et Perusino ad Antonium fugerant, in gratiam rediisse.

[1] App. V, 65: *στρατὸν δὲ ἐκ τῆς Ἰταλίας προσκαταλέγειν ἀκωλύτως ἴσον ἑκάτερον.* Iam apud Philippos a. 42 statutum erat, ut Antonius et Octavianus eodem iure uterentur in Italia. Haec erat provincia communis. Dio 48, 2.

[2] App. V, 65: *πολεμεῖν δὲ Πομπηίῳ μὲν Καίσαρα, εἰ μή τι συμβαίνοι, Παρθυαίοις δὲ Ἀντώνιον ἀμυνόμενον τῆς ἐς Κράσσον παρασπονδήσεως.*

Dio 48, 29: *τὸν δὲ δὴ πόλεμον τὸν πρὸς τὸν Σέξτον ἐκοινώσαντο καίτοι τοῦ Ἀντωνίου ὅρκους πρὸς αὐτὸν δι᾽ ἀγγέλων ἐπὶ τῷ Καίσαρι πεποιημένου.* Cfr. Zon. X, 22. — Sextus Pompeius, Cn. Pompeii Magni filius, post mortem patris primo cum fratre suo Cn. Pompeio, deinde solus in Hispania bellum contra Caesarem susceperat eoque multum profecerat. Interfecto Caesare Hispania relicta ei praefectura classis et orae maritimae a senatu contra Octavianum concessa erat (Cohen I, p. 19: Praef. class. et orae marit. ex s. c.), sed his rebus secundis male usus triumviratu ad Bononiam a. 43 inito a triumviris proscriptus erat. Navibus aedificatis, adiunctis sibi proscriptis (Dio 47, 12), transfugis receptis, piratis accitis (Strabo V, 4) Italico mari potitus

Octavianum et Antonium exortum erat, sublatum est. Utrique pax gratissima erat et utilissima. In Antonii enim potestate foedere Brundisino icto omnes divitiae omnesque copiae provinciarum transmarinarum positae erant, quibus nisus bellum Parthicum imminens et fortiter gerere et brevi tempore feliciter finire potuit. Sed ei detrimento erat, quod provincias transmarinas administrans procul ab Italia et urbe Roma versari coactus erat. Neque enim dubium esse potuit, quin bello de principatu quandoque gerendo ille superior futurus esset, qui in Italia et Romae plus valeret certumque erat, Antonium, quo diutius ab Italia et Roma abesset, magis atque magis obscuratum auctoritatem suam amissurum esse [1]. Et quamquam Italia provincia ambobus imperatoribus communis erat, tamen Octavianus solus

Siciliam sub finem anni 43 occupaverat (Dio 45, 10; 48, 17; 47, 12. App. IV, 25, 36; IV, 83, 84. Liv. ep. 123. Vell. II, 72 et 73. Flor. 4, 8), quae insula ex partitione provinciarum ad imperium Octaviani pertinebat. Hic iam ante bellum Philippense contra Sextum arma ceperat a. 42, sed cum Salvidienus, legatus Octaviani, in freto Siciliensi ab eo devictus esset, neque ipse Octavianus in Siciliam cum exercitu traicere potuisset, bellum in aliud tempus differre constituerat (Dio 48, c. 18 et 19; 47, c. 36). Sed non multo post bellum Philippense in Italia bellum Perusinum, quod vocatur, exortum est, quo Octavianus non solum impeditus est, quominus cum Sexto dimicaret, verum etiam in summum discrimen vocatus est. Contra Sexto cum ex bello Philippensi tum ex bello Perusino nova auxilia allata sunt (Vell. II, 77. App. V, 25. Dio 48, c. 17—20). Eiusdem copiae tunc erant maximae. Nam plerique, qui saluti iure metuebant quique bonis spoliati erant, ad Sextum aufugerunt. Mancipiorum fuga ad illum fuit tanta, ut Dione teste virgines Vestales vota facerent publica atque orarent deam, ut sisteret fugam (Dio 48, c. 19, cfr. Hor. ep. 16). Sed his copiis Sextus non bene erat usus. Tantum enim aberat, ut iisdem imperium Italiae et Romae sibi compararet, ut navibus suis omnem frumenti commeatum praecluderet itaque Italiam fame urgeret (App. V, 25. Dio 48, c. 17—19). Deinde Sextus cum Antonio ex Asia reverso Athenis societatem inire conatus erat, quam quidem recusavit. Promiserat tamen Sexto, sese, si contra Octavianum bellum gerendum esset, eius societate usurum esse; sin Octavianus pacta servaret, operam se daturum esse, ut Sextus cum illo reconciliaretur (App. V, 52 cfr. Dio 48 c. 27. Zon. X, 22). Ex hoc statuto ubi Antonius contra Octavianum bellum inchoavit, Sextus illum adiuvit, quamvis Octavianus per matrimonium cum Scribonia, quae erat soror L. Scribonii Libonis, soceri Sexti, contractum, Sextum ad suas partes pertrahere studuisset (App. V, 53. Dio 48 c. 16. Suet. Aug. 62). Sed paulo post pax Brundisina composita est et Sextus, ut ex Italia se reciperet, ab Antonio commotus est (App. V, 63).

[1] Schiller, Geschichte der römischen Kaiserzeit I, p. 76. Drumann I, p. 387.

in Italia versabatur. Itaque eius res in partem multo meliorem erant conversae. Omnes enim difficultates tunc temporis ex distributione agrorum[1] ortae iam superatae erant. Fulvia, uxor M. Antonii, quae ei maximas difficultates paraverat, erat mortua[2]. L. Antonius, frater M. Antonii, bello, quod vocatur, Perusino devictus et in Hispaniam demissus erat[3]. Lepidum quoque, qui sine dubio maioribus studiis ab Antonii partibus stabat, Octavianus in Africam miserat cum sex legionibus Antonianis, quae prae ceteris ipsi suspectae erant[4]. Reliqui hostes aut ex Italia fugerant aut cum Octaviano reconciliati erant. Praeterea Galliam Narbonensem occupaverat[5], id quod Antonius pace Brundisina comprabavit.

Ex hostibus unus Octaviano supererat, qui eius imperium coercebat, Sextus Pompeius. Hic Siciliam occupaverat maximasque copias ex proscriptis, fugitivis, mancipiis, piratis sibi comparaverat, cum omnes, qui illo tempore saluti suae metuebant vel sorte sua non erant contenti, sibi adiungeret. Cum his copiis Sextus oras Italiae devastabat eamque omni frumenti commeatu intercludebat itaque fame premebat. Accedebat, quod Italia agricultura propter continua bella neglecta[6] ad sterilitatem redacta erat.

Quae cum ita essent, Octavianus aut cum Sexto in gratiam redire aut eum devincere et ex Sicilia depellere coactus erat. Sed cum Sexto reconciliari omnino noluit. Nam profecto quamdiu insula, qua occupata frumenti commeatus impediri poterat, in potestate Sexti erat, Octavianus occidenti tuto et secure imperare non poterat. Praeterea Octavianus partem patris Caesaris secutus omnes illos devincere sibi proposuerat, qui Caesarem impugnarant. Inter hos erant Pompeiani, quibus tunc praeerat Sextus Pompeius, filius Cn. Pompeii Magni.

At dicet fortasse quispiam, Octavianum ante pacem Brundisinam cum Sexto in gratiam redire studiisse. Fateor, verum tamen Octavianus id fecit in summum discrimen adductus, neque minime hanc societatem servare paratus.

[1] App. V, 12—16. Dio 48, c. 6, 7, 8. — [2] App. V, 59. Dio 48, 28. Plut. Ant. 30. — [3] App. V, 47, 48, 54. Dio 48, c. 13 et 14. Vell. II, 74. — [4] App. V, 53. Dio 48, 20. — [5] App. V, 51. Dio 48, 20. Gallia quoque comata et Dalmatia ei concessae sunt, cum limes dicionis recta via a septentrione ad meridiem per urbem Scodram directus esset. — [6] App. V, 18.

Quare mirandum non est, quod Sextus in foedus Brundisinum non est receptus, quamquam Antonius ei Athenis promiserat, sese operam daturum esse, ut, si cum Octaviano pax fieret, cum hoc reconciliaretur. Sed exinde non sequitur, Antonium fidem violasse. Sane Antonium conatum esse, Sextum quoque cum Octaviano in gratiam restituere, haud negandum est. Nam ex condicione illa 5° loco allata apparet, in hoc foedere etiam condiciones statutas esse, quibus cum Sexto pax fieret. Aliter enim verba Appiani: *πολεμεῖν δὲ Πομπηΐῳ μὲν Καίσαρα, εἰ μή τι συμβαίνοι*, explicari non possunt. Illas condiciones quidem scriptores, qui id tantum egerunt, ut res inter triumviros statutas primo loco collocarent, nobis non tradiderunt. Attamen pro certo habendum est, Antonium ab Octaviano condiciones petivisse, quibus Sextus pacem accipere posset. Quod idem inde apparet, quod vel eodem tempore vel saltem paulo post pacem compositam Antonius Octavianum cum Sexto reconciliare studuit. Appianus enim postquam de condicionibus pacis egit, Octavianum aegre ferentem Sardiniam a Menodoro recuperatam esse Pompeio per Antonium reconciliari noluisse auctor est[1]. Procul dubio postulaverat a Pompeio Octavianus, ut Sardinia sibi restitueretur, quo negato omnis Antonii opera pacis componendae irrita erat[2].

[1] App. V, 66. — [2] Dio quoque 48, 29 (Zon. X, 22) huius rei mentionem fecit, sed, ut mihi videtur, minus accurate dicens: *τὸν δὲ δὴ πόλεμον τὸν πρὸς τὸν Σέξτον ἐκοινώσαντο καίτοι τοῦ Ἀντωνίου ὅρκους πρὸς αὐτὸν δι᾽ ἀγγέλων ἐπὶ τῷ Καίσαρι πεποιημένου*, cum Appianus discernat: Bellum Parthicum Antonio mandatur, bellum contra Sextum gerendum Octaviano, *εἰ μή τι συμβαίνοι*. Etiam Risse (De gestis Sexti Pompeii. Dissert.) p. 16, 17 contendit, in pace Brundisina Antonium promisso non solum non stetisse, sed Octaviano favisse et bellum contra Sextum communibus opibus gerendum decretum esse. Quod mihi displicet cum de causa, quam supra ex App. V, 66 attuli, tum ex ipso rerum statu. Nam multum Antonii interfuisse consentaneum est, ne vires Pompeii exstinguerentur, cum, quo maioribus viribus ille pollebat, eo melius Octavianus coerceri posset et si de principatu quandoque decertandum esset, Pompeius Antonio, sicut ante pacem Brundisinam, auxilia ferre posset. Praeterea bellum Parthicum Antonio erat gerendum neque diu differri poterat. Pax quoque Puteolana anno proximo 39 Antonio potissimum auctore facta est (App. V, 69). Auctores recentioris aetatis dissentiunt, quid de Sexto constitutum sit pace Brundisina. Lange, Römische Alterthümer, tom. III, p 563 putat Sextum in pacem receptum et insulam Siciliam ei concessam esse. Hoeck,

Sextum in foedus receptum esse etiam Romae procul dubio credebatur. Nam ibidem ingens exorta est laetitia de pace restituta. Quin etiam senatus consulto triumviris oratio concessa eisque permissum est, ut in sellis curulibus in ludis sederent[1]. Sed antequam triumviri Romam redierunt, se mutuo in castris Brundisinis conviviis exceperunt, Octavianus Romano et militari modo, Antonius Asiatico et Aegyptico cum luxu. Cum inter se reconciliati esse viderentur, milites Octaviani Antonium circumsteterunt ab eo pecuniam in pugua Philippensi promissam flagitantes. Sed cum non haberet, quod dare posset, in magnum periculum adactus est, ex quo eum liberavit Octavianus, qui milites pollicendo compescuit eosque in colonias misit[2]. Deinde triumviri ovantes Romam ingressi sunt[3] ibique sollemnia nuptiarum celebrarunt, quas Antonius cum Octavia, sorore Octaviani, fecit[4].

Romae igitur honorificentissime excepti imperium occuparunt multaque arbitrio suo fecerunt. Ac primum quidem nonnullos amicos, ut sibi invicem gratum facerent, e medio sustulerunt. Antonius Manium,

Römische Geschichte vom Verfall der Republik bis zur Vollendung der Monarchie unter Constantin tom. I, p. 254, Charles Merivale, Geschichte der Römer unter dem Kaiserthum tom. II, p. 175, Schiller I, p. 92 arbitrantur, Sextum non esse restitutum, sed hoc tantum statutum esse, ut cum Sexto separatim de pace ageretur. Veritas in medio est: Sextus non est restitutus, sed Brundisii condiciones constitutae sunt, quibus pax cum illo constitueretur. Octavianum revera in animo habuisse cum Sexto in gratiam redire, non est credibile.

[1] Dio 48, 31 — Suetonius (Oct.22) falso memoriae prodidisse videtur, hanc ovationem concessam esse pro victoria Philippensi. Dioni certe maior fides tribunenda est. Cfr. Drumann I, p. 424.

[2] Dio 48, 30. Zon. X, 22 cfr. Plut. Ant. 23.

[3] Dio 48, 31 — CIL. I, p. 461. Fast. Capit. – cfr. CIL. I p. 478. Tabul. Barber. (Palmam dedit), unde elucet ovationem triumphi rationem habuisse. Cfr. Schiller, I. p. 93.

[4] App. V, 66. Plut. Ant. 31 cfr. Dio 48, 31. Vell. II, 78. Liv. ep. 127, Suet. Oct. 22. Matrimonium Antonii cum Octavia, cuius maritus Marcellus paulo ante mortuus erat, iam initiis pacis ad foedus firmandum (App. V, 64) praestitutum erat. Cum Octavia tunc gravida esset, ne infamis haberetur, senatus consulto legibus soluta est. (Plut. Ant. 31 cfr. Ovid Fast. 1, 36). Plutarchus errat dicens Octaviam esse ex Ancharia natam, non ex eadem matre, qua Octavianum, Atia. Cfr. Drumann IV, p. 235. Ann.

qui eius causam bello Perusino defenderat[1], interemit, quod bellum movisset[2], Octavianus in Salvidienum, qui exercitui Caesariano in Gallia Narbonensi praeerat, animadvertit. Antonius enim illum Octaviano criminabatur, quod eo tempore, quo Antonius Brundisium obsidione clauserat, litteras ad eundem misisset proditionis gratia. Hanc ob causam Octavianus Salvidienum statim Romam evocavit tamquam brevi remissurus; neque tamen eum remisit, sed, postquam senatus illum hostem publicum appellandum esse censuit supplicationesque propter oppressa eius nefaria consilia decrevit, interfecit[3] et eiusdem exercitum, cuius fides suspecta erat, Antonio tradidit[4]. Triumviris senatus custodiam urbis mandavit cum sollemni formula: ne quid respublica detrimenti caperet[5].

Praeterea de magistratibus ad libidinem egerunt. Quamquam finis a. 40 instabat, praetores et consules magistratibus se abdicare[6] coacti sunt atque eorum loco alii creati sunt consules L. Cornelius Balbus, qui primus peregrinus consul factus est, P. Canidius Crassus, qui ludos bello Philippensi votivos ediderunt. Immo ultimo anni 40 die aliquot horis novus aedilis creatus est[7].

Anno proximo 39 consulibus L. Marcio et Caio Sabino omnia acta triumvirum ab initio eorum triumviratus a senatu rata habita sunt; vectigalia quoque nova imposita sunt, cum ea, quae Caesari decreta fuerant, nondum sufficerent[8]. Cum Antonius ad bellum Parthicum profecturus esset, magistratus in complures annos designati sunt, in his consules in annos proximos 8[9]. Hoc tempore

[1] App. V, 14, 19, 22. — [2] App. V, 66. — [3] App. V, 66. Dio 48, 33. Vell. II, 76. Suet. Aug. 66. Liv. ep. 127 Salvidienus sibi ipse mortem conscivit. — [4] App. V, 66. — [5] Dio 48, 33. — [6] Auctore Plutarcho (Ant. 30) in pace Brundisina de consulatibus quoque a triumviris statutum est, quos consulatus, si ipsi consules fieri nollent, per amicos alternis vicibus gerere statuerunt.

[7] Dio 48, 32. — [8] Dio 48, 34. Eodem fere tempore lex Falcidia de hereditatibus lata est: ut ne minus quarta parte hereditatis a testamento heredes caperent: gravatam legatis hereditatem dimittere liceret heredi quarta retenta (Dio 48, 33).

[9] Dio 48, 35. Ex his consulibus designatis ii solum, qui in annos 38—34 designati sunt, consulatum gessisse videntur. Nam, ut infra videbimus, ab anno 34—31 pace Puteolana novi consules designati sunt. — Dio 48, c. 34 et 35 fusius disputat de illa commutatione, quam triumviri in magistratus

Octavianus Scriboniam, agnatam Sexti, quacum, ut iam supra diximus, necessitate coactus matrimonium contraxerat, eodem die, quo filiam pepererat, repudiavit[1] eius perversitatem arguens[2].

Dum haec Romae geruntur, Sardinia a Menodoro, liberto Sexti Pompeii, recuperata est. Ut iam supra exposuimus, Antonius Sextum ad bellum contra Octavianum incitaverat[3]. Hic Menodorum emisit[4], qui Sardiniam aggressus oppugnavit. De ipsa Sardinia occupata rei auctores, Appianus et Dio, non plane consentiunt. Iis, quae illi hac de re attulerunt, accuratius inquisitis duplex occupatio distinguenda est. Prior facta est ante pacem Brundisinam, posterior post pacem: ipso tempore, quo pax inita est, Sardiniam in potestate Octaviani fuisse verisimile est. De priore occupatione Dio[5] nihil certi tradidit, sed bis Sardiniam occupatam esse ex Appiani verbis[6] clare elucet. Illa priore occupatione duae Octaviani legiones, quae insulam tenebant, nuntio coniunctionis Pompeii et Antonii exterritae, Menodoro se dederunt. Qui insula relicta oras maritimas Galliae devastavit et usque ad Narbonensem Galliam pervenit ibique Marcum Titium, filium illius Titii, qui apud Sextum versabatur, cepit[7]. Interea Sardinia ab Heleno, amico Octaviani, recuperata

---

induxerunt. Ex hoc tempore non iam consules annui creati sunt, sed ab initio suum cuique spatium determinatum est. Ex his ii, qui Kalendis Ianuariis inibant, toto anno consules vocabantur, ceteri, dum munera obibant, et ipsi consules vocabantur Romae et in Italia, remotioribus tamen plerumque non erant cogniti; unde minores quoque consules appellabantur (Dio 48, 35). Quod de consulatu, idem de senatu actum est. Quem ut in potestate haberent, legerunt triumviri in eum homines indignos et ignotos non solum peregrinos, sed et milites et libertinos, quin etiam servos. Maximus quidam, qui quaestor erat designatus, a domino agnitus et abductus est, alius servus, inter milites repertus, de rupe Tarpeia praecipitatus est (Dio 48, 34).

[1] Dio 48, 34. — [2] Suet. Aug. 62. Quae fuerit causa huius repudii, auctores non consentiunt. Dio 48, 34 narrat, Octavianum tunc iam Liviam, uxorem Neronis adamare coepisse; certum est, posteriore demum tempore eum cum eadem matrimonium contraxisse (Vell. II, 79 Tacit. An. V, 1. Dio 48, c. 44. Zon. X, 23). Suet. Aug. 62 dicit, Octavianum scripsisse, se pertaesum morum perversitatem Scriboniae divortium fecisse, quod mihi minus credibile videtur. Certe errat Suetonius affirmans, Octavianum statim Liviam Drusillam in matrimonium duxisse. — [3] Cfr. p. 3. — [4] App. V, 56. Oros. IV, 18. — [5] Cfr. Dio 48, c. 30. — [6] App. V, 56 et V, 66. — [7] Dio 48, c. 30.

est[1]. Hoc eodem fere tempore factum esse statuendum est, quo Brundisina pax inita est. Nam primum quidem certum est, iam ante pacem Brundisinam Sardiniam a Menodoro occupatam esse, cum Appianus cap. 56 dicat: *καὶ τὰ ἐν αὐτῇ* (Sardinia) *δύο τέλη περιέσπασε τὴν συμφροσύνην Ἀντωνίου καταπλαγέντας.* Atqui haec coniunctio Antonii cum Pompeio erat ante pacem. Praeterea ex eodem Appiano elucet, tempore proximo post pacem Sardiniam a Menodoro recuperatam esse. Nam postquam ille auctor c. 65 condiciones pacis exposuit, c. 66 ita pergit: *Ἕλενον δὲ στρατηγὸν Καίσαρος, σὺν ὁρμῇ κατασχόντα Σαρδοῦς, αὖθις ἐξέβαλε τῆς Σαρδοῦς Μηνόδωρος ὁ Πομπηίου καὶ τῷδε μάλιστα χαλεπαίνων ὁ Καῖσαρ οὐκ ἐδέχετο τὰς πείρας Ἀντωνίου συνάγοντος αὐτῷ Πομπήιον.*

Cuius posterioris occupationis causa erat haec. Sextus per Antonium contendentem sese promissa Athenis data servaturum esse ante pacem, ut ex Italia se reciperet, commotus erat[2], sed uti audivit, se non esse receptum in foedus Brundisinum, bellum renovavit, oras Italiae devastavit, omnem frumenti commeatum ab Italia impedivit, Menodorum hostibus damnum inferre iussit. Is iterum in Sardiniam invasit et primum quidem a M. Lurio pulsus est, deinde vero victorem repentino incursu devicit et totam insulam rursus sub suam potestatem redegit. Inter captivos Helenus quoque fuit, Octaviani amicus, quem ille sine pretio dimisit secundum haec Dionis verba: *εὐεργεσίαν τε ἐς τὸν Καίσαρα πόρρωθεν προκατατιθέμενος καὶ κατὰ φυγὴν ἑαυτῷ προπαρασκευάζων, εἴ τι παρ᾽ αὐτοῦ δεηθείη*[3].

Laetitia de pace restituta Romae et in Italia exorta non diu permansit. Nam cum Sextus cum Octaviano non esset reconciliatus, finis inopiae non erat factus. Neque enim negotiatoribus Pompeium timentibus ab oriente frumentum subvehebatur neque

---

[1] App. V, 66. — [2] App. V, 63. — [3] Dio 48, c. 30. — Appianus (V, 67) addit, etiam Corsicam sub potestatem Pompeii redactam esse. Quod probo, quia Appianus multo accuratius hac de re disputat, quam Dio. Praeterea Appianus sibi constat, qui pace Puteolana Sexto cum ceteris insulis hanc quoque concessam (App. V, 72) eandemque postea per Menodorum Octaviano traditam esse contendit (App. V, 78 et 80).

ab occidente, quod in eiusdem potestate Sardinia et Corsica erant; etiam Africanos commeatus naves Sexti intercludebant. Hoc modo magna rei frumentariae inopia orta est. Cuius causam populus Romanus cum ex discordia triumvirum et Sexti caperet, illos urgebat, ut cum hoc quoque pacem componerent. Sed Octavianus, qui naves Antonii contra Sextum parare poterat, non flectebatur neque cum eo reconciliari volebat [1]. Sed populus cum fames duraret, urgere non destitit neque eo placatus est, quod Octavianus, cum barbam poneret, ei epulum dedit [2]. Antonius igitur, qui in orientem redire cupiebat, cum frustra Sextum cum Octaviano in gratiam restituere studuisset [3], bellum maturandum esse iudicavit, priusquam inopia magis ingravesceret [4]. Quoniam vero pecuniae ad bellum gerendum deerant, edictum est propositum, quo in capita mancipiorum dimidium eius, quod bello Philippensi fuerat exactum, imperabatur. Etiam de hereditatibus per testamentum acceptis pars detrahebatur. Plebs autem ira incensa avulsit edictum a parietibus et favorem Pompeianarum partium demonstrans, cum circensibus simulacrum Neptuni inferretur, plausum clamoresque dedit, Sexto Pompeio, qui eius dei filium se ferebat, gratulans [5]; atque cum diebus proximis sollemni pompa id detrahi Octavianus iussisset, lapides in magistratus coniecti sunt. Octaviani etiam et Antonii deiectae statuae [6]. Postremo magna multitudo seditiosorum per urbem concurrit clamoribus ceteros vocantium incendiumque aedibus minantium, quorum domini communem causam proderent [7].

Ita universa fere plebe concitata Octavianus cum amicis in medium prodiit, rationem factorum suorum redditurus, sed reverentia eius non cohibiti quosdam ex comitibus vulneraverunt; ipse quoque Octavianus in capitis periculum est adductus. Nam et ipsum ictibus se praebentem lapidibus petierunt eumque interfecissent, nisi An-

[1] App. V. 67. Dio 48, 31. — [2] Dio 48, c. 34. — Discrepantia quaedam esse videtur inter Dionis verba et nummos, quibus Octavianus anno 37 barbatus proponitur, quae discrepantia facile ita tolli potest, ut Octavianum propter calamitates a Sexto acceptas barbam promississe statuamus, id quod iure meritoque licet (Ekhel, Doctrina Nummorum veterum 6, p. 76). Antonius etiam post cladem Mutinensem barbam promisit (Plut. Ant. 18. Ekh. 6, p. 37). — [3] App. V, 66. — [4] App. V, 67. — [5] App. l. c. Dio 48, c. 31, cfr. Suet. Aug. 16. Tacit. Ann. II, 83. — [6] Dio 48, 31. Zon. X, 22. — [7] App. V, 67.

tonius eum liberasset. Qui ubi cognovit, quo in periculo ille versaretur, statim succurrit. Et cum ipsum quoque saxis peterent nec eum transire sinerent, accitis militibus vi patefecit aditum et Octavianum periculo eripuit [1]. Quo facto animus Octaviani ab Antonio inductus est ad pacem cum Sexto componendam [2]. Quam ob causam familiares L. Scribonii Libonis, soceri Sexti Pompeii, ab Antonio monebantur, ut illum e Sicilia evocarent ad salutandos visendosque affines. Hi celeriter miserunt ad Libonem litteras, qui, cum Sextus non impediret, quominus proficisceretur, in insulam Aenariam provectus est, deinde postquam Octavianus quoque invitus quidem, sed rogante populo fidem dedit, Romam pervenit. Simul populus Romanus Muciam [3], matrem Pompeii, adegit, ut in Siciliam pacis componendae causa ad filium proficisceretur. Libo cum leniri iam contumaciam hostium cognovisset et a triumviris pax exoptari videretur, statuit, ut ipsi duces ad colloquium convenirent. Quo vehementibus populi deprecationibus impetrato Octavianus et Antonius Puteolos profecti sunt [4].

Dum haec Romae geruntur, Pompeiani ipsi valde inter se dissentiebant. In duas potissimum partes sibi inimicissimas distrahebantur, quae, quo magis pax appropinquare videbatur, eo infestiore animo inter se obsistebant [5]. Altera pars composita erat hominibus nobilissimis, qui partim a. 43 a triumviris proscripti ad Sextum fugerant, partim ex bello Philippensi aut Perusino ad illum sese contulerant. Hi, qui necessitate tantum coacti patriam reliquerant, facultatem redeundi exoptantes a Sexto, ut pacem cum triumviris iniret, flagitabant [6].

Alteram partem efficiebant homines infimae fortunae, fugitivi maximeque piratae et mancipia, qui cum bello dignitates et honores

[1] App. V, 68. — Quantam sollicitudinem haec res Octaviano attulerit, colligitur ex eo, quod barbam, quam initio anni 39 (Dio 48, c. 34) posuerat, tunc iterum promittebat (Ekhel 6, 77). — [2] App. V, 69. Oros. VI, 18.

[3] Dio (48, 16) in errorem incidisse et rem confudisse videtur, cum Octavianum iam eo tempore, quo cum Scribonia matrimonium inire studuerat, Muciam matrem ad Pompeium misisse tradit. App. V, 53 de hac missione nihil profert, sed aperte affirmat, per Maecenatem matrimonium contractum esse. — [4] App. V, 69. — [5] App. V, 70. — [6] Huius partis caput erat Statius Murcus (Vell. II, 72, 77. App. V, 78).

deberent, in bello tantum salutem et spem habebant et pacem quasi finem potentiae detestabantur. Cuius factionis duces erant Menodorus, Menecrates, Demochares, Apollophanes libertini.

Quantopere aversatae sint inter se illae partes, ex iis, quae sequuntur, colligi potest. Menodorus cum audisset de colloquio triumvirum cum Libone habito, e Sardinia Pompeio scripsit: ducendum esse bellum, iam famem pugnare pro eo et brevi tempore futurum esse, ut aequioribus condicionibus pacem inire posset. Simul Statium Murcum suasorem pacis calumniatus est, quod imperium sibi parare studeret[1].

His criminationibus, quas et Dio et Velleius falsas significant, Pompeii animus a Murco abalienatus est, qui cum non amplius ad consilium adhiberetur, Syracusas secessit. Sextus autem tribunum quendam militum et centurionem ex iis, quos ille in Siciliam duxerat, pecuniis corrupit, ut ducem occiderent et a servis eum interfectum esse pronuntiarent, quod ut maiorem fidem pro se ferret, servos quosdam crucibus affigi iussit. Neque tamen res latuit[2].

Sed Murco interfecto pax inter Pompeianos non restituta est. Immo tum nobiles Menodorum incusabant ut studio propriae potentiae bellum praeferentem. His criminationibus tandem neque minus adhortationibus Libonis et Muciae matris commotus Sextus cum Octaviano et Antonio de pace agere statuit et Aenariam cum multis egregiis navibus profectus est. Puteolos sub vesperum inspectantibus hostibus praeternavigavit. Postridie palis in mare defixis tabulae iniectae duoque pontes effecti sunt modico intervallo distantes, in quorum pontium alterum terrae contiguum Octavianus et Antonius progressi sunt, Pompeius et Libo in alterum, qui paulo magis in mare excurrebat, ut tuto inter se colloqui possent. Tanta erat diffidentia, ut alter ad alterum adire non auderet. Sed cum Pompeius postulasset, ut ipse in societatem imperii admitteretur loco Lepidi, Antonius et Octavianus timentes, ne suam ipsorum auctoritatem minuerent, illique nihil aliud nisi

[1] App. V. 70 cfr. Dio 48, c. 19, qui Menodorum Murcum proditionis accusasse tradit. — [2] App. l. c. Dio 48. c. 19. Vell. II, 77.

reditum in patriam concedere volentes infecta re discesserunt. Neque tamen res intermissa est, cum amici varias condiciones ultro citroque ferrent. Sed non multum aberat, quin novum et magnum discidium inter Sextum et triumviros fieret. Nam cum ille postulasset, ut proscriptis percussoribus Caesaris apud se versantibus securum exilium, ceteris vero proscriptis reditus atque honores et bonorum restitutio concederentur[1], triumviri hoc negato aegre concesserunt, ut quarta bonorum pars restitueretur et Pompeio neglecto cum ipsis proscriptis de hac re egerunt. Qui facultatem redeundi exoptantes et Pompeium propter scelus in Murcum perpetratum veriti quarta bonorum parte contentos se fore dixerunt et Pompeium adierunt, ut pacem componeret. Qui ita omni subsidio contra triumviros orbatus non iniuria conquestus esse dicitur, prodi se ab iis, quos servasset saepe inclamato nomine Menodori, quem haberet solum et rei militaris peritia et fide omnibus praestantem[2]. Tandem matre et uxore Pompeii orantibus[3] duces in aggerem quendam ab utraque parte mari allutum prope Puteolos rursus convenerunt[4] collatis circa aggerem in statione navibus cum praesidio et pacem Puteolanam[5],

[1] App. V, 71 cfr. App. IV, 36. — [2] App. V, 71. — [3] App. V, 72. — [4] Dio 48, 36 multo brevius hac de re disserens unum tantum colloquium triumvirum cum Sexto habitum commemorat et omnia ea, quae Appianus in priore colloquia facta esse tradidit, in posterius transtulit. Cfr. Plut. Ant. 32. Vell. II, 77. Cfr. Risse, De gestis Sexti Pompeii p. 17—20.

[5] De loco, quo haec pax inita est, dissensio inter auctores est. App. V, 72 pacem Dicaearcheae, quod est vetus nomen urbis Campanae Puteolorum (Plin. H. Nat. III, 5) factam esse tradit, Dio 48, 36, Vell. II, 77, Plut. Ant. 32 promunturium Misenum tamquam locum pacis commemorant. Horum trium scriptorum auctoritate commoti omnes fere recentioris aetatis auctores pacem ad Misenum factam esse tradunt. Me non paenitet sequi auctorem Appianum his de causis. Primum enim testimonia Vell. et Plutarchi non magni aestimanda esse puto, quia obiter tantum pacis mentionem faciunt. Deinde Appianus multo accuratius tribus ceteris scriptoribus disputat cum de iis, quae immediate paci praecedunt, tum de iis, quae ad ipsum pacis locum pertinent, Nam cum Dio „πρὸς Μισηνῷ", Velleius „circa Misenum", Plutarchus „κατὰ τὴν ἐν Μισηνοῖς ἄκραν" colloquium factum esse narrent, Appianus aperte tradit pacem initam esse ἐς τὸ ἀμφίκλυστον Δικαιαρχέων χῶμα. Neque profecto miramur, Misenum loco Puteolorum significari locum pacis, cum et Misenum promunturium et Puteoli urbs non longe distent et nomen oppiduli Puteolorum haud dubie minus notum fuerit nomine Miseni promunturii.

quae dicitur, composuerunt verno tempore anni 39 his condicionibus [1].

I. Terra marique belli finis fit neque usquam negotiationes impediuntur [2].

II. Pompeius ex omnibus Italiae locis praesidia deducet [3].

[1] Ordinem harum condicionum ab Appiano petivi, qui illas condiciones, quae ad Pompeium ipsum pertinent, secernit ab iis, quae attingunt nobiles exules apud Pompeium commorantes, illas primo loco collocans, has secundo. Contrario ordine utitur Dio, primo loco ponens condiciones, quae agunt de Pompeianis et secundo loco, quae agunt de Pompeio. Ceterum alter alterius narrationem supplet. — Dissensiones auctorum dirimere saepe difficile erit, cum plerisque condicionibus non satisfactum sit.

[2] App. V, 72: *λελύσθαι μὲν τὸν πόλεμον αὐτοῖς καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν καὶ τὰς ἐμπορίας ἀκωλύτους εἶναι πανταχοῦ.*

Dio 48, 36: *ἀλλὰ τήν τε εἰρήνην τὴν ἐν τῇ θαλάσσῃ αὐτῇ πρυτανεύοντα.*

Zon. X, 22 iisdem verbis, quibus Dio, utitur. Sed, quae dicit, magni momenti esse non possunt, quia Dionis verba exscripsit.

Plut. Ant. 32: *καθαράν τε λῃστηρίων παρέχειν τὴν θάλασσαν.*

Condicionem, quam hoc loco attulimus, revera fuisse condicionem pacis Puteolanae propter ea, quae supra exposuimus, negare non licet neque auctores ipsa re multum inter se dissentiunt. Attamen Appianus accuratius tradidit. Dio id tantum statutum esse dicit, ut in mari esset pax, nihil afferens de obligatione frumenti commeatus non amplius impediendi. Summatim exposuit Plutarchus condicionem. Quae est causa, cur Appiani verba praeferenda esse putem.

[3] App. V, 72: *Πομπήϊον δὲ τας φρουρὰς ἐξαγαγεῖν, ὅσαι κατὰ τὴν Ἰταλίαν εἰσίν.*

Dio 48, 36: *μή τινα φρούρια ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ἔχοντα.*

Zonaras X, 22 idem tradidit, quod Dio.

De hac quoque condicione auctores consentiunt, praeterquam quod discrepantia inter ipsos eo oritur, quod Appiani verbis apparet Pompeium etiam tum praesidia in Italia habuisse, quod ex Dionis formula non elucet. Quaestio ergo est, utrum Pompeius eo tempore, quo pax inita est, praesidia habuerit in Italia. Cum ex App. V, 63, tum ex Dione 48, 30 certum est, Pompeium ab Antonio iussum esse ex Italia se recipere. At inde non sequitur, eum omnia praesidia ex Italia deduxisse. Immo contrarium mihi saltem verisimile esse videtur. Nam Sextus accepto nuntio, se non esse in pacem Brundisinam receptum, bellum renovavit et haud dubie in ora Italiae quoque praesidia collocavit. Praeterea cum Appianus aperte dicat, Pompeium in Italia praesidia habuisse, Dio non neget, Appianum auctorem secutus sum.

III. Pompeius oram Italiae maritimam navibus non amplius claudet [1].

IV. Pompeius servos fugitivos amplius recipere vetatur [2].

V. Pompeius imperium Sardiniae, Siciliae, Corsicae, ceterarum, quas tum possidebat, insularum tamdiu tenebit, quamdiu Antonio et Octaviano reliquarum provinciarum imperium prorogatum est. Praeter has insulas Pompeio Peloponnesus conceditur [3].

[1] App. V, 72: *μὴ δ' ἐφορμεῖν ναυσὶ τὴν ἀκτὴν τῆς Ἰταλίας.*

Haec condicio est additamentum quoddam condicionum, quas 1° et 2° loco attuli, et a solo Appiano nobis tradita est. Sed dubium esse nequit, quin haec revera fuerit condicio pacis Puteolanae. Nam ex eis, quae supra exposuimus, elucet, causam, qua triumviri ad pacem ineundam commoti sint, eam potissimum fuisse, quod Pompeius navibus omnem commeatum frumenti praecludebat fameque Italiam afficiebat; proinde triumviros non nisi ea condicione, ne Pompeius navibus Italiae litus obsideret, pacem composituros fuisse consentaneum est.

[2] App. V, 72: *καὶ μηκέτι τους αποδιδράσκοντας οἰκέτας ὑποδέχεσθαι.*

Dio 48, 36: *μὴ αὐτομόλους δεχόμενον.*

Apud Zonaram X, 22 idem legitur, quod apud Dionem. — Auctores paene congruenter tradunt. Nam nomine illorum, quos Dio *αὐτομόλους* significat, servos intellegendos esse contendere non dubito. Si enim triumviri a Pompeio postulassent, ne viros liberos reciperet, certe hoc renuisset, quippe qui omni auxilio destitutus nullum subsidium sibi parare posset. Praeterea propter frequentia potissimum servorum transfugia Italia ad necessitatem redacta est, ut Vestales deam deprecarentur, ut sisteret fugam (Dio 48, 19); cfr. condicio XII, ubi Dio diserte *αὐτομολήσαντας τῶν δούλων* Sexti libertate donatos esse dicit.

[3] App. V, 72: *ἄρχειν δὲ Σαρδοῦς καὶ Σικελίας καὶ Κύρνου καὶ ὅσων ἄλλων εἶχεν ἐς τότε νήσων, ὅσον ἄρχοιεν τῶν ἑτέρων Ἀντώνιός τε καὶ Καῖσαρ . . ἐπιλαβεῖν δὲ καὶ Πελοπόννησον ἐπὶ ταύταις.*

Dio 48, 36: *καὶ Σικελίας καὶ Σαρδοῦς τῆς τε Ἀχαΐας ἐπὶ πέντε ἔτη ἄρξαι.*

Zonaras X, 22 idem tradidit, quod Dio.

Vell. II, 77: In hoc pacis foedere placuit Siciliam Achaiamque Pompeio concedere.

Liv. ep. 127: ut Siciliam provinciam teneret.

Ex iis locis, quos attuli, satis bene intellegitur, inter auctores haud paucas inveniri discrepantias. Ac primum quidem Appianus a ceteris auctoribus eo dissidet, quod insulam Corsicam quoque Pompeio concessam esse narrat. Qua in re Appiano maiorem fidem attribuendam esse puto eadem de causa, quam iam supra exposui. Aliud discrimen in eo est, quod Appianus tradit, Pompeium

VI. Pompeius populo Romano frumentum iam dudum insulis illis imperatum mittere iubetur[1].

Peloponnesum adeptum esse, cum apud Dionem et Velleium loco Peloponnesi Achaia exstet. Utra pars accuratius tradiderit, pro certo diiudicari non potest. Omnes fere scriptores recentioris aetatis (Schiller p. 95, Hoeck p. 256, Merival p. 176, Carl Peter, Römische Geschichte II, p. 504) auctoritatem Dionis et Velleii Paterculi secuti Achaiam provinciam Pompeio concessam esse statuerunt; equidem potius Appiano Peloponnesum tamquam provinciam Pompeii appellanti fidem habeam. Nam primum quid sit illud Achaia, non satis bene intellegitur. Potest esse aut illa provincia Peloponnesi ad mare Corinthiacum sita aut provincia Romana, quae dicitur Achaia, quae complectebatur Peloponnesum et Helladem cum insula Euboea. At neque illam neque hanc Pompeio datam esse puto. Non est enim verisimile, Pompeium provinciam Peloponnesi Achaiam accepisse, cum reliqua Peloponnesus in potestate Antonii remaneret, quia est nimis exigua; et ex altera parte certum est, Achaiam provinciam Romanam Pompeio non esse concessam. An putas Antonium Athenis discedere voluisse? Quare Appianum auctorem secutus Peloponnesum Pompeio datam esse contenderim. — Appianus et Dio denique in eo dissentiunt, quod ille *ἐς τότε, ὅσον ἄρχοιεν τῶν ἑτέρων Ἀντώνιός τε καὶ Καῖσαρ* insulis imperare Pompeio licuisse dicit, cum Dio *ἐπὶ πέντε ἔτη* illud imperium concessum esse narret hanc rationem afferens: *ὅτι καὶ αὐτοὶ πρόσκαιρον δή τινα τὴν ἐξουσίαν, ἀλλ᾽ οὐκ ἀίδιον ἔχειν δοκεῖν ἤθελον.* Utrius verba vera sint, haud facile est intellectu. Sed cum Appianus in ceteris rebus sese accuratiorem praebuerit, in hac quoque re eum secutus sum. Non abhorret a probabilitate, Dionem de triumviratu prolongando cogitasse et hanc ob causam in errorem inductum esse. Hic triumviratus sub finem anni 43 initus cessaturus erat sub finem anni 38 et revera prolongatus est anno 37 (Dio 48, 54 *ἐν χειμῶνι* consulibus Lucio Gellio et Cocceio Nerva. Zon. X, 24 — App. V, 93 *ἀρχομένου δ᾽ ἦρος* cfr. Hoeck I, p. 263 ann. contra Drumannium I, p. 371 cfr. Clinton, Fasti Hell. p. 222). Triumviros e potestate sua discedere noluisse et iam tempore pacis Puteolanae in animo habuisse novum triumviratum inire certum est. Attamen eos hanc potestatem non ad 5 annos, sed ad annum 31 prolongari voluisse, ex Appiano V, 73, ut infra videbimus, colligi potest. Hoc anno Antonius et Octavianus tertium consules fieri et consulatu gesto e triumviratu discedere voluerunt (*τρίτον δὴ τότε μέλλοντας ὑπατεύσειν καὶ ἐλπιζομένους τότε καὶ ἀποδώσειν τῷ δήμῳ τὴν πολιτείαν*).

[1] App. V, 72: *πέμποντα Ῥωμαίοις τὸν ἐκ πολλοῦ τεταγμένον αὐταῖς φέρειν σῖτον.*

Dio 48, 36: *καὶ σῖτον τοῖς ἐν τῇ πόλει τακτὸν πέμποντα.*

Zonaras X, 22 cum Dione consentit.

Plut. Ant. 32: *σῖτόν τι τεταγμένον ἀποστέλλειν εἰς Ῥώμην*

VII. Pompeio absenti consulatum gerere licebit per quemcunque vult ex amicis[1].

VIII. Pompeius augur creandus est[2].

IX. Pompeius ex bonis paternis accipiet centies septuagies quinquies centena milia drachmum[3].

X. Exsulibus[4] nobilibus redire licet exceptis iis, qui publico iudicio interfectores C. Caesaris sunt damnati. Bona profugis, qui ob

---

[1] App. V, 72: *ὑπατεῦσαι δ᾽ ἀπόντα δι᾽ ὅτου κρίνοι τῶν φίλων.*

Dio 48, 36: *αὐτὸν δὲ τὸν Σέξτον ὕπατόν τε αἱρεθῆναι* . . . cfr. Zonaras X, 22.

Appianus accuratius Pompeio absenti quoque consulatu fungi licuisse narrat.

[2] App. V, 72: *καὶ τῆς μεγίστης ἱερωσύνης ἐς τοὺς ἱερέας ἐγγραφῆναι.*

Dio 48, 36: *καὶ οἰωνιστὴν ὑποδειχθῆναι.* Cfr. Zonaras X, 22.

In ipsa re non habetur dissensio inter auctores. Verba Appiani dicentis, Pompeium in maiorum pontificum collegio descriptum esse, in universum dicta sunt. Sed auguratum quoque in maiorum pontificum collegium referendum esse puto, quare Risse p. 20 et Drummannius I, p. 430 ann. in errorem inciderunt arbitrati, Appianum contendere Sextum Pompeium maximum pontificatum accepisse. Utrius verba praeferenda sint, pro certo affirmari non potest. Sed cum Dio accuratius prodiderit, eum sequi malim.

[3] Dio 48, 36: *ἔκ τε τῆς οὐσίας τῆς πατρῴας χιλίας καὶ ἑπτακοσίας καὶ πεντήκοντα μυριάδας δραχμῶν κομίσασθαι.*

Zonaras X, 22: *τῆς πατρῴας οὐσίας χιλίας πεντακοσίας πεντήκοντα μυριάδας δραχμῶν κομίσασθαι.*

Hanc condicionem Appianus praetermisit, neque tamen dubium est, quin de bonis S. Pompeii paternis in pace Puteolana statutum sit. Iam antea Sexto in Hispania commorante de bonis Pompeii Magni, quae ab Antonio retinebantur, complura constituta erant (App. III, 4; Dio 45, 10; Vell. II, 73 — Cic. or.; Phil. XIII, 4; cfr. Drumann IV, p. 563). Sed cum illa statuta nondum impleta essent, Dioni dicenti, hac de re in pace Puteolana quoque statutum esse, fides habenda est. Zonaras quoque hanc condicionem commemorat et dissidet a Dione narrans, quingenties centena milia drachmum, ut Pompeio redderentur, statutum esse. Dionis verba male exscripsisse videtur, in errorem ductus, ut Risse p. 21 putat, eo, quod verbum *πεντήκ.* secutum est.

[4] App. V, 72: *κάθοδον δὲ τοῖς ἔτι φεύγουσι τῶν ἐπιφανῶν πλὴν εἴ τις ἐπὶ τῷ φόνῳ Γαΐου Καίσαρος ψήφῳ καὶ κρίσει κατέγνωσται καὶ τῆς περιουσίας τοῖς μὲν ἄλλοις, ὅσοι κατὰ φόβον ἔφευγον καὶ τὰ ὄντα αὐτοῖς ἐκ βίας ἀπωλώλει, τὸ ἐντελὲς ἀποδοθῆναι χωρὶς ἐπίπλων, τοῖς δὲ προγεγραμμένοις μοῖραν τετάρτην.*

Dio 48, 36: *καὶ τοὺς ἐκπεσόντας πλὴν τῶν σφαγέων κατελθεῖν. τούτους γὰρ δῆθεν ὑπεξείλετο, ἐπεὶ τῷ τε ἔργῳ καὶ ἐκείνων τινὲς κατιέναι ἔμελλον. καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ Σέξτος εἷς ἐξ αὐτῶν γεγονέναι ἐδόκει, ἀλλ᾽ ἐγράφη, τοὺς ἄλλους πλὴν τούτων πάντας ἐπί τε ἀδείᾳ καὶ ἐπὶ τῷ τετάρτῳ τῆς δημευθείσης σφῶν οὐσίας ἐπανελθεῖν*

metum solum profugerunt et res suas per vim amiserunt, ex asse omnia restituentur exceptis rebus mobilibus, proscriptis vero ex quadrante.

XI. Ex Pompeianis nonnulli tribunatum, praeturas, sacerdotia recipient [1].

Zonaras X, 22: *τοὺς ἐκπεσόντας πλὴν τῶν σφαγέων κατελθεῖν.*

Vell. Paterc. II, 77: omnibus proscriptis aliisque, qui ad eum ex diversis causis fugerant, reditum salutemque pactus est.

Complures inter auctores aspicis dissensiones: Appianus tria hominum genera distinguit:

a) percussores Caesaris, quibus venia non datur;
b) proscriptos, qui quartam bonorum partem recipiunt;
c) eos, qui ex metu tantum fugerant, quibus omnia bona exceptis rebus mobilibus redduntur.

Dio haec duo genera discernit:

a) percussores Caesaris, quibus redire non licet;
b) ceteros Pompeianos, quibus redire licet et quarta bonorum pars redditur.

Discrepantia igitur eo consistit, quod auctore Dione omnibus Pompeianis (exceptis interfectoribus Caesaris), nempe et proscriptis et iis, qui ex metu tantum fugerant, eisdem condicionibus ut redirent, permissum est omnesque admodum quartam partem bonorum recuperant, auctore Appiano contra ii, qui metu commoti fugerant, omnia bona exceptis rebus mobilibus recipiunt, proscripti quartam bonorum partem. Appiano haud dubie maior fides tribuenda est. Neque enim verisimile est, constitutum esse in pace Puteolana, ut ii, qui ex metu fugerant, eodem modo punirentur, quo proscripti. Illi enim nullius criminis erant rei neque quidquam aliud commiserant, nisi quod fuga salutem petiverant. Num igitur eos ea poena affectos esse putas, ut maximam bonorum partem amitterent? Praeterea bona proscriptorum iam erant vendita itaque a novis possessoribus ea redimi oportebat, quod erat difficillimum. Aliter res se habebat in bonis ceterorum, qui non erant proscripti. Eorum bona ab aliis non possidebantur itaque sine ulla difficultate poterant restitui. — Zonaras X, 22 illud Dionis, Pompeianos reversos quartam bonorum partem recepturos esse, omittit, ut mihi videtur, neglegentia quadam inductus. Nam quae apud Dionem huic condicioni antecedunt: *τούτους γὰρ δῆθεν … ἀλλ' ἐγράφη*, certe non sunt in pace statuta, sed a Dione addita, quibus praetermissis Zonaras proximum quoque neglexit, quod a triumviris revera constitutum erat. Cfr. Risse p. 21 ann.

[1] Dio 48, 36: *καὶ ἐκείνων μέν τισι καὶ δημαρχίας καὶ στρατηγίας ἱερωσύνας τε εὐθὺς δοθῆναι.*

Haec ab uno Dione nobis tradita sunt, id quod condicionis pro falsa habendae argumento esse nequit. Additamentum quoddam esse mihi videtur ad condiciones, quas 7° et 8° loco attuli, quibus de consulatu et auguratu Pompeii sermo est. Neque enim dubitari potest, quin sicut de consulatu et auguratu Pompeii, ita de magistratibus nobilium exsulum quoque statutum sit. Vocabulum *εὐθύς* verbo tenus intellegendum esse negaverim.

XII. Servi, qui Pompeio duce militarunt, liberi erunt [1].

XIII. Ingenuis peractis stipendiis eadem praemia persolventur, quae veteranis Octaviani et Antonii [2].

Restat condicio quaedam a Dione [3] solo tradita, quae prorsus improbanda mihi videtur esse. En habes: *μὴ ναῦς ἐπικτώμενον*, ne Pompeius naves paret. Et primum quidem id, quod Dio narrat, pugnat omnino contra condicionem Pompeii. An putas, Pompeium, cuius vires navibus nitebantur, illam condicionem accepturum fuisse, qua accepta omnes eius vires sublatae essent? Nam procul dubio Pompeio nova navium aedificatione opus erat, cum lapsu temporis naves ad usum fiant inutiles novisque sint substituendae. Praeterea ceteri auctores hanc condicionem Dionis non commemorant. Zonarae testimonium sane parvi est aestimandum ex ea, quam iam supra dixi, causa. Sed ne Appianus quidem, qui haud dubie summa fide dignus est, quidquam de hac re narrat. Quodsi et Appianus et Dio [4] inter causas, quibus Octavianus ad bellum contra Sextum gerendum commotus est, eam quoque afferunt, quod Sextus naves paraverit, id non multum valet. Nam hae causae, ut Appianus testatur, sunt suspectae, quia ab Octaviano allatae sunt. Immo Appianus profert, suspicionem esse, veras belli causas fuisse alias. Sed utcumque haec res se habet, equidem narrationem Dionis improbandam esse censeo.

Hoc modo Puteolis effectum est, quod Brundisii Antonius ab Octaviano postulaverat, ut scil. etiam cum Sexto pax fieret.

---

[1] App. V, 72: *καὶ τῶν ἐστρατευμένων τῷ Πομπηίῳ τοὺς μὲν οἰκέτας ἐλευθέρους εἶναι.*

Dio 48, 36: *τούς τε αὐτομολήσαντας τῶν δούλων ἐλευθέρους εἶναι.*

Zonaras X, 22 idem tradidit, quod Dio.

Quod Appianus et Dio dicunt, idem esse videtur. Nam servi, qui Pompeio serviebant, erant fugitivi, saltem plerique.

[2] App. V, 72: *τοῖς δὲ ἐλευθέροις, ὅτε παύσαντο τῆς στρατείας, τὰ αὐτὰ δοθῆναι γέρα τοῖς ἐστρατευμένοις Καίσαρί τε καὶ Ἀντωνίῳ.*

Hac de re praeter Appianum apud alios auctores nihil scriptum invenimus, sed hac in re Appiano fidem habendam esse vel ex ea, quae antecedit, condicione, apparet. Nam cum ipsi servi fugitivi testibus Dione et Appiano libertate donati sint, multo magis etiam ingenuos praemiis affectos esse statuendum est.

[3] Dio 48, 36. — [4] App. V, 77 cfr. Dio 48, 45.

Foedere constituto duces tabulas signis obsignatas Romam deferendas curaverunt, ut a vestalibus, ut mos erat, servarentur[1]. Deinde congressi osculati sunt inter se. Nuntio de pace constituta accepto ab innumera multitudine militum aliorumque hominum magnus prae gaudio clamor sublatus est, ut Dio fusius exponit[2]. Interim ipsi duces convivia celebrarunt. Quo ordine epulae pararentur, sorte constitutum est[3]. Prima Sexti Pompeii exiit. Qui cum triumviros nave ad aggerem admota exciperet, dixisse traditur, in carinis suis se cenam dare, aliud domicilium se non iam habere, referens id ad aedes paternas, quas in regione carinarum Romae sitas[4] Antonius tunc possidebat. Deinde Antonius et Octavianus Pompeium invitarunt positis in aggere tentoriis, ut etiam militibus epulum praeberi posset. Sed fortasse hoc factum est mutuae securitatis causa et ad omnem suspicionem removendam. Nam ne tunc quidem sibi confidebant. Immo et praesto erant naves in stationibus et satellites et ipsi convivae sub vestibus accincti pugionibus discubuerunt[5]. In ea cena Pompeia, Sexti filia, Libonis neptis desponsa est Marcello, previgno Antonii, Octaviani sororis filio[6]. Postero die consules in 4 annos (ἐς τετραετὲς) designati sunt[7]:

1. Antonius, Libo, adiecta condicione, ut Antonio liceret alium, quemcunque vellet, pro se substituere.

[1] App. V, 73; Dio 48, 37. — [2] Dio 48, 37. — [3] App. V, 73; Plut. Ant. 32; Vell. II, 77. — [4] Dio 48, 38; Vell. II, 77; Plut. Ant. 32. Cfr. Plut. Ant. 21; Suet. Tib. 15; Aurel. Victor de viris ill. c. 84.

[5] Dio 48, 38; App. V, 73; Niebuhr, Vorträge III, p. 104 prorsus errat referens: Pompeius ging auf das Land zu ihnen und vertraute sich ihnen mit einer Art von Grossmuth an, umgekehrt begaben auch sie sich mit einer Grossmuth, die ihnen sonst nicht ähnlich sieht, auf sein Admiralschiff. Cassius Dio 48, 38 et Plutarchus Ant. 32 hoc loco nobis narrant, Menodorum in cena Pompeio dixisse, triumviros facillime tolli posse; se cum navibus prope versantem curaturum esse, ne quis effugeret, Pompeium autem respondisse, hoc facinus Menodoro non indignum esse, sed sibi non licere peierare. Appianus V, 73 huius rei mentionem facit, addit tamen iure meritoque: λέγεται. Nam tota haec res mihi ficta esse videtur eo consilio, ut melius illustraretur Menodori perfidia, qui multiplicis proditionis est reus. Praeterea Menodorus, qui pacem detestabatur, erat in Sardinia ignorans, quid Puteolis convenisset. (Cfr. Drumann I, p. 431—432. — Merivale II, p. 177. — Risse p. 23.)

[6] App. V, 73; Dio 48, 38; Zon. X, 22. Matrimonium non contractum est. Pompeia a. 36 cum patre ex Sicilia effugit (Dio 49, 11). — [7] App. l. c.

2. Octavianus, Pompeius.
3. Domitius Aënobarbus, Sosius.
4. Antonius, Octavianus, qui tertium tunc futuri consules rempublicam populo Romano reddituri esse putabantur.

Haec designatio consulum confundi solet cum illa designatione, quam Dio[1] commemorat[2]. Duplex enim distinguenda est designatio. Prior facta est iam ante pacem Puteolanam initio a 39 in 8 annos[3], posterior in ipsa pace Puteolana ad 4 annos[4]. Ex consulibus ante pacem Puteolanam designatis ii tantum, qui in 4 proximos annos (38—34) creati erant, revera consulatu functi esse videntur. Nam ab anno 34—31 ii, qui in pace Puteolana designati sunt, ut consules fierent, statutum est. Hoc colligitur 4 consulatibus Appiani comparatis cum iis, qui in tabulis enumerati sunt.

Appiani consulatus.	In tabulis[5] enumerantur consules pro anno 34.
Antonius, Libo.	L. Scribonius Libo.
	M. Antonius. In eius locum f. c.
	L. Sempronius Atratinus. [Dio 49 c. 38, 39.]
	Kal. Iul. P. Aemilius.
	C. Memmius.
	Kal. Nov. M. Herennius.
Octavianus.	anno 33: Imp. Caesar abd. Kal. Ian. In eius l.
Pompeius.	Autronius Paitus, L. Vulcatius. [Dio 49 c. 43.]
	Kal. Ian. P. Autronius.
	Kal. Mai. L. Flavius.
	Kal. Iul. C. Fonteius, M'Acilius.
	Kal. Sept. L. Vinucius.
	Kal. Oct. L. Laronius.
Domitius Ahenobarbus.	anno 32: Cn. Dom. Aënobarbus, C. Sosius[6].
	Kal. Iul. L. Cornelius.
Sosius.	Kal. Nov. M. Valerius.

[1] Dio 48, 35. — [2] Cfr. Drumann I, 432 — Fischer, Zeittafeln p. 345. — [3] Dio l. c. — [4] App. V, 73. — [5] Fischer, Röm. Zeittafeln p. 362. — [6] Nepos vit. Att. c. 22. Sueton. Oct. c. 17. Dio 49 c. 41; 50 c. 2. Zonar. X, 28.

Antonius.	anno 31: Imp. Caesar.
Octavianus.	Messala Corvinus. [Vell. II 84. Dio 50, 10.]
	Kal. Mai. M. Titius.
	Kal. Oct. Cn. Pompeius.

Ex hisce clare elucet, apud Puteolos consules non in annos proximos 38—34, sed in annos 34—31 designatos esse. Nam initio horum annorum iidem consules creati sunt, quos Appianus enumerat idemque ordo servatus est[1]. Discrepantia, quae habetur, facillime eximi potest. Omnino congruunt consulatus annorum 34 et 32 cum consulatibus Appiani. Inter 8 consules anni 33 non est S. Pompeius, cum iam antea consulatu privatus[2] et iam anno 36 devictus esset. Anno 31 Antonius non est consul creatus, cum iam consulatu orbatus[3] et eodem anno bellum exortum sit inter Octavianum et Antonium[4].

Sed revertamur eo, unde digressi sumus. Condicionibus constitutis et conviviis celebratis Pompeius in Siciliam rediit, Octavianus et Antonius Romam sese contulerunt. Quacunque transierunt, iis summi honores tributi sunt atque Romae omnia erant praeparata, ut quam magnificentissime exciperentur. Quod illi evitaturi noctu Romam ingressi sunt. Cum vero spes esset, finem futurum esse bellorum civilium et famis, omnes magno gaudio affecti sunt praeter eos, qui agros possidebant eorum, quibus ex foedere una cum Pompeio reditus erat concessus: quippe qui paratos sibi vicinos inimicissimos putarent. Permagnum quoque gaudium exortum est propter reditum tot illustrium virorum. Nam plerique nobiles apud Sextum versantes exceptis paucis illo apud Puteolos salutato Romam reversi sunt[5]. Auctore Velleio[6] in patriam redierunt M. Silanus,

[1] Consulatus annorum 37—34 omnino sunt a consulatibus Appiani diversi. Sunt hi: pro anno 38 Claudius Pulcher, Norbanus Flaccus, pro anno 37 Marcus Agrippa, L. Caninius (abd. in eius l. Statilius Taurus), pro anno 36 L. Gellius (abd. in eius l. L. Munatius), Plancus. — M. Cocceius Nerva (abd. in eius l. P. Sulpicius Quirinus), pro anno 35 L. Cornificius, Sex. Pompeius (cfr. Fischer, Röm. Zeittafeln p. 348 sqq.). Quem ultimo loco tabulae enumerant, non est hic Sextus Pompeius, sed alius, ut ex Dione 48, 18 clare collegitur.

[2] Dio 48, 54. — [3] Dio 50, 4. 20. — [4] Cfr. Mommsen: Röm. Staatsrecht 1, 567 ann. 3; 2, 79 ann. 1. — [5] App. V, 77. — [6] Vell. II, 77.

Sentius Saturninus, Arruntius, Titius. Claudius Nero, quem Velleius hoc loco enumerat, procul dubio iam ante pacem redierat[1].

Romae triumviri eodem modo, quo antea Caesar, arbitratu suo multa constituerunt et decreverunt. Antonius senatus consulto omnia a se acta et futura et praeterita approbari iussit[2] et in gratiam Octaviani flaminio Caesaris inauguratus est[3]. Deinde cum Octavia in Graeciam profectus omnia arbitratu suo disposuit. Octavianus in Galliam turbis nonnihil agitatam se contulit. Dio[4] nobis tradidit de eversione, quae tunc temporis in magistratibus erat. Uno anno sexaginta septem praetores numerati sunt. Puer quidam, qui quaestor designatus erat, postridie demum togam virilem sumpsit. Senatori cuidam, qui inter gladiatores dimicare cupiebat, hoc quidem non concessum est, sed haec fuit causa, cur senatores gladiatores esse edicto vetiti sunt. Edictum quoque est, ne servi lictores fierent.

Eodem fere tempore Octavianus Liviam marito eius Claudio Nerone etiam vivente matrimonio sibi adiunxit, postquam iam ante pacem Puteolanam Scriboniam repudiavit[5].

Pompeius in Siciliam reversus magna emolumenta ex pace constituta percepisse videbatur, quippe qui insulas Siciliam, Sardiniam, Corsicam possideret et praeterea Peloponnesum promissam accepisset. Quin etiam etsi non de iure, tamen de facto in triumviratum exceptus[6] omnibusque honoribus, quibus poterat, donatus erat.

Attamen revera Pompeio pace inita magna damna illata sunt. Ac primum quidem ii viri, qui ad eum fugerant eumque adiuve-

[1] Claudius Nero post bellum Perusinum cum uxore ad Sextum in Siciliam (Vell. II, 75) et ibidem non bene exceptus ad Antonium aufugerat (Suet. Tib. c. 4 et c. 6). Quando Romam reversus sit, auctores dissentiunt. Tacitus V, 1 et Velleius II, 77 Claudium Neronem post pacem Puteolanam a. 39 initam rediisse contendunt, sed cum iam a. 40 Antonius cum Octaviano in gratiam rediisset, Dionem (cfr. 48, 34) et Suetonium (Tib. 4 et 6), qui Neronem iam hoc anno (40) reversum esse tradiderunt, sequi malim. Tacitus et Velleius falso eum in numero illorum, qui apud Pompeium versantes post pacem Puteolanam in patriam reversi sunt, posuerunt, non respicientes, Neronem a Sexto ad Antonium confugisse.

[2] App. V, 75. — [3] Plut. Ant. 33; Dio 44, 6. — [4] Dio 48, 43. — [5] Dio 48, 34 et 43. — [6] Charles Merivale II. p. 176.

rant, eum reliquerunt [1]. Omnibus enim licebat in patriam reverti exceptis percussoribus Caesaris et ii, qui ex metu tantum commoti fugerant, omnia bona et proscripti quartam bonorum partem recuperare poterant. Quam ob rem omnes fere nobiles Romam redierunt. Quo modo factum est, ut Sextus magnis auxiliis orbaretur. Eum non reliquerunt perpauci ex nobilitate angustioribus quibusdam vinculis cum eo coniuncti, in his Scribonius Libo, socer eius. Reliqui, qui remanebant, erant servi, homines incertae fortunae, quibus magnam fidem habere non poterat.

Cum his copiis Sextus sese defendere coactus erat contra duos homines potensissimos. Neque enim dubium esse poterat, quin Octavianus et Antonius data occasione bellum contra Sextum renovarent. Nam profecto si promissa servare in animo habuissent, Pompeio non tam multa et tam magna concessissent [2]. Antonius quidem non erat infestissimo in Sextum animo, praesertim cum eius multum interesset, ut Pompeii vires servarentur, quia hoc modo Octavianus, cui non multum confidebat, melius coerceri poterat. Attamen cum Antonio contra Parthos copiae terrestres deessent, certum erat, eum Octaviano, si bellum contra Sextum moveret, affuturum esse. Multo infestior procul dubio Sexto erat Octavianus. Nam hic in summum discrimen adductus pacem cum illo composuerat, quae remoto periculo ne turbaretur, magnopere erat timendum. Octaviano enim, ut iam supra exposui, erat propositum ab omnibus, qui contra patrem Caesarem pugnaverant, poenas acerrimas repetere. In his Sextus erat, qui et ipse in Hispania, ut de eius patre, Pompeio Magno, non dicam, cum Caesare pugnaverat. Sexto igitur valde timendum erat, ne Octavianus quamcunque occasionem captaret belli renovandi, quod auctore Dione [3] inchoatum esset, etiamsi nulla causa fuisset. Quae cum consideraverimus, comprehendemus, duces summa cum diffidentia Puteolos convenisse omnemque diligentiam adhibuisse in illo colloquio apud Puteolos habito, ne sibi insidiae pararentur [4].

Quare mirandum non est, quod iam anno proximo 38 bellum inter Octavianum et S. Pompeium exortum est. Cuius belli, quod

[1] App. V, 74; Vell. II, 77. — [2] Schiller I, p. 96. — [3] Dio 48, 45. — [4] Dio 48, 36 et 38; App. V, 72 et 73.

vocari solet bellum Siciliense, quaenam fuerint causae, a scriptoribus historicis non aperte et diserte expressum est, sed obscure tantum indicatum, ita ut causae ab illis allatae speciem [1] solam causarum prae se ferant. Rem ita se habere, mirandum non est. Nam ab anno 48, quo Cicero occisus est, desunt scriptores eiusdem aetatis. Neque Livii opus servatum est, nisi in illis epitomis. Ceteri auctores, quorum opera adhuc exstant quique huic parti historiae scribendae operam dederunt: Appianus, Cassius Dio, Zonaras, Suetonius, Velleius Paterculus, Orosius, et posterioris sunt temporis et illo tempore Caesariano scripserunt, quo homines vel rationibus fidei historicae contrariis commoti vel vi coacti non omnia tradiderunt, quae erant tradenda. Quod Dio [2] disertis verbis loquitur de illa commutatione, quae una cum eversione rerum publicarum apud scriptores Caesarianorum temporum exorta est, id quoque saltem ex parte valet de scriptoribus bellorum civilium.

Respiciendum enim nobis est, auctores Octaviano, qui ex illis bellis civilibus superior discesserat et principatum obtinuerat, favere et ab iis, qui illum impugnaverant, abalienatos esse. Praeterea Appianus et Dio, praecipui huius temporis auctores, ex Caesarianis potissimum, ut ita dicam, fontibus procul dubio hauserunt. Ex Appiano scimus, commentarios Octaviani [3] et Asinii Pollionis [4] adhibitos esse.

Causae, quae ab Appiano [5] et Dione [6] afferuntur, sunt hae:

I. Antonius, ne Sexto Peloponnesum traderet, recusavit causa interposita, Peloponnesios sibi debere pecunias. Si ille iam statim recipere vellet provinciam, solveret, quae Peloponnesii deberent aut pecunias persolvendas reciperet. Quod si minus placeret, tantisper exspectaret, dum pecuniae illae coactae essent. Iam vero Pompeius provinciam una cum pecuniis sibi deberi putavit et postulatum Antonii aegre ferens — ut Octavianus dictitabat — naves comparabat remigesque deligebat et exercitum quoque aliquando pro contione commonuit, omnino esse opus, ut denuo bellum pararetur.

[1] App. V, 77. — [2] Dio 53, 19. Cfr. Merivale II, p. 399. Tacitus Ann. I, 1: Temporibus Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur.

[3] App. IV, 110; — V, 45. — [4] App. II, 82. Cfr. Em. Hannak, Appianus und seine Quellen, Wien 1869. — [5] App. V, 77. — [6] Cfr. Dio 48, 36.

II. Piratae ex insidiis mare infestabant rursusque commeatum praecludebant, ut passim diceretur, non finem malorum factum esse, sed quartum tyrannidis socium advenisse. Ex his piratis Octavianus aliquot cepit eosque adeo torsit, ut se a Sexto submissos esse in equuleo confiterentur.

III. Sextus transfugas et fugitivos recepit[1].

IV. Sextus praesidia ex Italia deducere noluit[2].

V. Praecipua belli causa ab auctoribus Appiano et Dione affertur transfugium Menodori, qui ad Octavianum transgressus est eique Sardiniam et Corsicam cum tribus legionibus et sexaginta navibus[3] tradidit. Si auctores sequimur, erat res haec: Nobiles quidam, qui apud Pompeium etiam post initam pacem Puteolanam remanserant, ubi illum Menodori consiliis parere viderunt, aliquot ex libertinis pecunia induxerunt, ut Sextum contra Menodorum incitarent afferentes: Menodorum specie rei frumentariae curandae de proditione cum Octaviano agere eiusque libertum Helenum sine pretio reddidisse. Quo modo Sextus a Menodoro abalienatus est. Eodem tempore unus ex libertinis Octaviani Philadelphus ad frumentum e Sardinia deportandum, ut fertur, ad Menodorum venit et iisdem diebus ille Micylionem quendam sibi amicissimum, ut de transfugio ageret, ad Octavianum misit eique Corsicam et Sardiniam cum tribus legionibus et militibus levis armaturae obtulit. Octavianus autem antequam Menodorum aperte reciperet, Antonio et Lepido scripsit, ut Brundisium convenirent bellique participes essent. Pompeius vero suspicione permotus Menodorum ad se venire iussit ad rationes frumenti pecuniaeque administratae reddendas. Hic vero legatos ad se missos in vincula coniecit et interfecit et classem exercitumque Octaviano tradidit[4]. Non multo postquam Menodorus ad Octavianum defecit, Antonius, qui per hiemem Athenis cum Octavia prodige vixerat[5], Brundisium pervenit[6]. Sed cum

[1] Dio 48, 45; Zon. X, 23; Oros. VI, 18. — [2]) Dio l. c. — [3] Oros. VI, 18. — [4] App. V, 78; Dio 48. 45; Suet. Aug. 74. — [5] Dio 48, 39; App V, 76; Plut. Ant. 33.

[6] Quonam tempore Octavianus Antonium Brundisium vocaverit, Appianus et Dio Cassius dissentiunt. Dione auctore (48, 46) bellum iam inceptum erat, cum Antonius arcessitus est, Appianus contra Antonium in Italiam vocatum

Octavianus, qui in Etruria versabatur, constituto die non adesset, ille non exspectavit, sed statim solvit et ad Parthicum bellum navibus profectus est, Octaviano tamen scripsit, ne a pactis discederet et Menodoro minitatus est, se eum ut servum fugitivum repostulaturum esse. Menodorus enim Pompeio Magno serviverat, cuius bona, in quibus et Menodorus tum fuerat, Antonius emerat. Lepidus Octaviano non obtemperavit.

Pompeius de transfugio Menodori certior factus ab Octaviano postulavit, ut perfuga sibi dederetur. Sed tantum aberat, ut Menodorus redderetur, ut summis honoribus ab Octaviano afficeretur. Hac de re iratus Sextus conquestus est, Peloponnesum retineri[1] neque sibi neque suis in patriam revocatis honores tributos esse et simul evulgavit, Antonium bellum detestari, et Menecratem Italiae oram infestare iussit. Is, qui iam antea ad Menodori ferocitatem coercendam emissus esse videtur[2], Volturnum oppugnavit et alia quaedam Campaniae loca vastavit. Quo audito Octavianus quamquam Romae voces audiebantur, contra foedus bellum susceptum

esse refert, antequam Octavianus belli initium fecerit. Non est dubium, quin Appianus maiore fide dignus sit. Verisimilius enim est, Octavianum non incepisse bellum, antequam exquisivisset, utrum Antonium et Lepidum socios belli haberet necne, cum eorum copiis indigeret. Appianus deinde accuratius tradidit, Dio vero brevitate sua in errorem incidisse videtur. Ex epistula denique ab Antonio ad Octavianum data clare elucet, bellum non iam experte exortum esse tempore adventus Antonii. Nam ille Octavianum hortatus est, ne foedus frangeret; bellum igitur tunc non erat exortum. Sed fidem habere nolim Appiano dicenti post adventum demum Antonii Sardiniam et Corsicam traditas esse (App. V, 80). Nam ex illis Antonii litteris minacibus apparet, Menodorum iam eo tempore, quo Antonius Brundisium venit, tamquam proditorem cognitum esse. Minitatus est enim ei. Octavianus utique procul dubio in animo habuit, apertam proditionem usque ad tempus adventus Antonii differre. Quod factum non esse, mirandum non est. Nam antequam Antonius Brundisium pervenit, spatium temporis quoddam praeterierat et haud dubie Menecrates interea a Sexto emissus cum classe advenerat, ut Menodorum coerceret (cfr. Risse p. 26).

[1] App. V, 77; Dio 48, 46.

[2] Nam ex Appiano V, 84 compertum habemus post Menecratis mortem demum alios duces destinatos esse a Sexto pro Menecrate et Menodoro, unde apparet, Sextum, cum Menecratem emitteret, de transfugio a Menodoro facto certum nuntium nondum accepisse (cfr. Risse p. 27).

esse, aperte belli initium facere instituit, a vestalibus tabulas pacis repoposcit, totus animo et mente in bellum institit[1].

Cum iam antea satis bene arma parasset, procul dubio etiam sine auxiliis Antonii et Lepidi bellum contra Sextum suscipi posse ratus est. Nam iam duas classes aedificaverat, alteram in mari supero, alteram inmari Tyrrheno. Antonium vituperavit, quod se non exspectavisset. Ad omnem suspicionem removendam populum Romanum per litteras, exercitum pro contione edocuit, foedus a Pompeio esse violatum, eundem per piratas infestasse maria, quod ex testimoniis cum piratarum tum Menodori appareret neque ignorare id Antonium ideoque Peloponnesum illi non tradere[2].

Hae causae ab auctoribus allatae speciem potius causarum prae se ferunt, ut iam supra dixi[3], quam ob rem Appianus iure alias causas coniecturandas esse contendit[4]. Ac primum quidem causa, quam 1° loco attuli, quod Sextus navibus comparatis remigibusque delectis pacem turbaverit, vera et iusta mihi esse non videtur. Nam, ut iam supra exposui[5], non possum adduci, ut putem, in pace Puteolana sancitum esse, ne Pompeius naves aedificaret neve remiges deligeret. Nam si Sextus Pompeius hanc condicionem accepisset, sibi ipse perniciem parasset. Quod Octavianus Pompeium exprobravit[6], mirandum non est. Respicere enim debemus, illum invitum pacem composuisse itaque omnem occasionem belli renovandi captasse. Ita rem se habere, ex omnibus, quae Octavianus fecit, elucet. Eius profecto erat curare, ne statuta pacis violarentur. Iam vero ex voluntate Antonii pax dirempta est. Nam illum iure provinciam retinuisse, quis est, qui ostendere possit? Ille si debita exigere voluisset, priusquam Peloponnesus traderetur, id antea statuere debuisset. Sed in pace Puteolana hac de re non est sermo. Antonius, qui pecunia indigebat[7], nihil

[1] Dio 48, 46. — [2] App. V, 80. — [3] Cfr. p. 25. — [4] App. V, 77: *κατὰ μὲν αἰτίας, ὡς ὑπενοεῖτο, ἑτέρας, αἱ δὲ ἐς τὸ φανερὸν ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἐκφερόμεναι αἵδε ἦσαν.* — [5] Cfr. p. 19. — [6] App. V, 77.

[7] Qua pecuniae inopia Antonius tunc temporis laboraverit, nummi aerarii ab illo eiusque praefectis classis cusi et denarii legionarii documento sunt, qui quintam fere partem aeris continent. (Mommsen, R. M. W. 423, 756). Plinius N. h. 33, 132 nobis tradit, Antonium ferreos denarios argento coopertos cusisse. Mirandum id non est, cum Antonius prodige vixerit maximasque pecunias consumpserit (App. V, 75, 76; Dio 48, 39).

aliud in animo habebat, nisi provinciam exhaurire, quod Sextus suo iure aegre ferebat.

Octaviano igitur curandum erat, ut Sextus provinciam sibi debitam acciperet. Sed tantum aberat, ut eum adiuvaret, ut eum criminaretur, quod pacem turbaret. Praeterea si revera Pompeius bellum parasset, Octaviano non fuisset causa timendi, cum non illi, sed Antonio, qui provinciam retineret, arma inferrentur[1].

Quod deinde auctores de piratis tradiderunt, quanticumque aestimandum est, id profecto consentaneum est, non magni momenti habendum esse testimonium piratarum tormentis exactum. Haec Octaviano non poterat esse causa sufficiens Sexti in suspicionem belli adducendi. Praeterea Cassius Dio piratarum mentionem non fecit. Ex omnibus vero, quae Octavianus fecit[2], id saltem satis bene intellegitur, eum infestissimo animo in Sextum affectum fuisse summamque diligentiam adhibendam esse, ne temere iudicemus.

Idem fere dicendum est de 3a causa in publicum ab Octaviano allata, quod Sextus transfugas recepisset. Num haec incusatio Octaviani vera fuerit, pro certo diiudicari nequit. Appianus de hac re tacet.

Id certe reiciendum esse puto, quod Dio narrat, Sextum praesidia de Italia deducere noluisse. Nam ex Appiano[3] compertum habemus, Octavianum iam ante initium belli oras Italiae multis castellis munivisse, ne rursus incursarentur a Pompeio. Praeterea ex omnibus, quae Octavianus ante exortum bellum perfecit, satis clare elucet, eum tota Italia potitum esse, cum sine ulla difficultate in oris triremes conficere potuerit[4].

De transfugio denique Menodori multa dubia remanserunt. Eius proditionis quam societatem Octavianus habuerit, non clare ex rerum scriptoribus Appiano et Cassio Dione colligi potest. Non abest suspicio, Octavianum proditionem illam clam molitum esse. Hoc si non ex ipsis Appiani verbis, at certe ex contextu verborum effici videtur. Neque enim dilucide cognoscere possumus, quomodo

[1] Verisimile est, Octavianum ipsum ante exortum bellum copias parare non dubitasse. Nam maximas copias in provinciis tenebat simulque in utraque Italiae ora naves aedificandas curabat (App. V, 78, 80).

[2] Cfr. p. 26 Nr. II. — [3] App. V, 80. — [4] App. V, 80.

cohaereant illa verba Appiani[1]: *τῶν δ' αὐτῶν ἡμερῶν Φιλάδελφος ὁ Καίσαρος ἀπελεύθερος πρὸς τὸν Μηνόδωρον διέπλευσε σίτου κομιδῆς οὕνεκα· καὶ Μικυλίων ὁ πιστότατος τῷ Μηνοδώρῳ πρὸς Καίσαρα περὶ αὐτομολίας τοῦ Μηνοδώρου*, nisi iam per Philadelphum de transfugio actum esse statuimus. Huic ab Octaviano, qui iam aliunde illum ad proditionem commoveri posse non ignorabat, mandatum esse videtur, ut specie rei frumentariae cum Menodoro de proditione ageret. Qui Micylionem sibi amicissimum ad Octavianum non misisset, nisi quid hac de re prius constitutum esset. Verisimile est, Menodorum per Philadelphum etiam de invidia Pompeii certiorem factum itaque ab illo abalienatum esse. Ex ipso pretio transfugii, quod Menodorus accepit, apparet, illum ad proditionem permotum esse. Nam Octavianus eum non solum declaravit ingenuum et classem, quam adduxerat, ei commisit, sed etiam aureo annulo dato equestri ordini eum adscripsit, quin etiam ad cenam adhibuit, quod nemini unquam libertinorum antea acciderat[2]. Quem honorem Octavianus ei non tribuisset, si ille sua sponte nullis promissis commotus transfugisset. Horatius denique aperte affirmat, promissis Menodorum ad transfugium commotum esse[3]. Appianus ipse incertum relinquit, qua ex causa ad Octavianum Menodorus defecerit dicens: *καὶ τόδε ὂν ἔργον εἴτε Φιλαδέλφου εἴτε τῶν ἐς Μηνόδωρον παρὰ Πομπηΐου διαβολῶν*[4].

Non abhorret a probabilitate, Octavianum clam cum nobilibus Pompeianis egisse, ut Sextum contra Menodorum incitarent. Nam Appianus[5] dicit, nobiles apud Sextum versantes libertinos quosdam corrupisse, ut Menodorum calumniarentur *εἴτε ἀπὸ σφῶν αὐτῶν, εἴτε ἐς χάριν Καίσαρος*. Octavianum quibusdam nobilibus amicis, qui Sexti partes secuti sunt, usum esse, non est verisimile. Illud *ἐς χάριν Καίσαρος* non aliter interpretari licet, nisi nobiles ab Octaviano concitatos esse, ut per libertinos quosdam animum Sexti a Menodoro abalienarent. Iam ante pacem Puteolanam Octavianus cum proscriptis apud Sextum versantibus egerat[6].

Ex iis, quae exposui, apparet, quaenam fuerint causa belli Siciliensis, pro certo diiudiari non posse. Certe etiamsi Menodorus

[1] App V, 78. — [2] App. V, 80; Dio 48, 45.
[3] Hor. od. III, 16, 15—16: munera navium saevos illaqueant duces. — [4] App. V, 78. — [5] App. l. c. — [6] App. V, 71.

non defecisset, bellum exortum esset[1]. Vera et propria belli causa aliunde quaerenda est. Quam reperiemus, cum condiciones temporum respexerimus. Ac primum quidem iterum ad id animos advertam, qua de causa Octavianus pacem composuerit. Eam enim non sua sponte, sed necessitate coactus inierat, qua necessitate sublata bellum renovare non dubitavit. Ne vero in suspicionem veniret, sua culpa foedus fractum esse, quasdam res perhibuit, quibus a Sexto bellum renovatum esse dixit. Idem cogitaverunt aequales Octaviani de initio belli, quod intellegitur ex Tacito[2], populum Romanum putasse, Sextum imagine pacis ab Octaviano deceptum esse. Haec etiam fuit causa, qua commotus Octavianus ad populum scripsit, non per sese stetisse, quominus bellum renovaretur, bellum inceptum sese a Sexto[3].

Omnes fere auctores antiquitatis, qui de hac historiae parte scripserunt, Octaviani partes secuti sunt et de Sexto Pompeio male iudicarunt. Quod mirandum non est. Nam antea quidem Sextus ita se gesserat, ut gratiam et benevolentiam Romanorum haud facile retinere posset; servos et fugitivos et libertinos et proscriptos sibi adiunxerat, mare undique praecluserat itaque Romam et Italiam fame presserat[4]. Omnia deinde, quae post annum 43 de Sexto tradita sunt et ad posteritatem pervenerunt, ex fontibus, ut ita dicam, Caesarianis hausta sunt. Omnes autem auctores de Sexto male iudicantes superavit Velleius Paterculus, qui eum descripsit fide patri dissimillimum, libertinorum suorum libertum servorumque servum, speciosis invidentem, ut pareret humillimis[5]. Hoc veritati non respondere, vel ex eo intellegitur, quod plerique nobilissimi et honestissimi viri Fannius, Libo, Sentius Saturninus, alii complures ad finem paene apud Sextum remanserunt[6]. Praeterea si Sextus

[1] Dio 48, 45: *ἔμελλον μὲν γάρ που καὶ ἄλλως, εἰ καὶ μηδεμίαν σκῆψιν εὗρον, πολεμήσειν.*

[2] Tacit. Ann. I, 10. — [3] App. V, 80. — [4] Cfr. Merivale II, p. 175.

[5] Vell. II, 73: Nihilominus Velleius non praetermisit, quin de Sexto iudicaret: Id unum tantummodo adventu suo patriae attulit, quod omnibus proscriptis aliisque, qui ad eum ex diversis causis fugerant, reditum salutemque pactus est; quae res et alios clarissimos viros et Neronem Claudium et M. Silanum Sentiumque Saturninum et Arruntium ac Titium restituit reipublicae (Vell. II, 77). — [6] Cfr. Risse, p. 54 ann.

Pompeius tam improbus fuisset, Cicero in senatu tam honeste de eo loqui non potuisset [1]. Cum vero Velleius tam male iudicaverit de Sexto, prorsus singulare est, quod de initio belli Siciliensis tradit narrans, crescente in dies et classe et fama Pompeii Caesarem molem belli eius suscipere studuisse [2]. Profecto Velleius, si ei persuasum fuisset, a Sexto Pompeio bellum inchoatum esse, id fusius exponere non omisisset.

Ex iis, quae ab auctoribus de initio belli Siciliensis allata sunt, haec duo certa sunt: Antonius et Octavianus fidem non servaverunt. Ille Peloponnesum non tradidit, hic longius progressus proditorem Menodorum cum insulis Sardinia et Corsica in suam potestatem recepit [3].

---

[1] Cic. or. Phil. XIII, 5. — [2] Vell. II, 79.

[3] Ex iis, quae dixi, elucet quoque, quanti aestimanda sint ea, quae scriptores recentioris aetatis de causis belli Siciliensis contenderunt, qui testimoniis auctorum antiquitatis commoti culpam belli maxima ex parte in Sextum contulerunt. Charles Merivale II, p. 181, ut exemplis utar, aperte dicit: Sextus hatte sich, wie es scheint, geweigert, seine Vergleichsbestimmungen zu erfüllen und die Plätze, die er an Italiens Küste inne hatte, herauszugeben, et Ranke, Weltgeschichte 2, p. 377: Sextus gelangte nie in den Besitz von Achaia und räumte dagegen die Plätze nicht, die er in Italien hatte. Cfr. Schiller I, p. 101; Weber, Weltgeschichte p. 946.; Lange, Röm. Alterth. III, p. 569 et 570; Hoeck I, p. 259.

QUAE A PACE BRUNDISINA AD INITIUM BELLI SICILIENSIS INTER OCTAVIANUM ET SEXTUM POMPEIUM A. XXXVIII EXORTI REI PUBLICAE ROMANAE FUERIT CONDICIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS CONTROVERSIS

DIE V MENSIS MARTII A. MDCCCLXXXXI

HORA XI

PUBLICE DEFENDET

CLEMENS PAGENSTERT

OLDENBURGENSIS, PRESB. DIOEC. MONAST.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

THEODORUS AUSSEL, CAND. HIST.
BERNARDUS BROCKAMP, CAND. HIST.
AUGUSTINUS KNIEKE, CAND. HIST.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXXI.

THESES CONTROVERSAE.

1. Pax inter Octavianum, Antonium, Sextum Pompeium anno 39 ant. Chr. n. composita non Miseni, sed Puteolis facta est.
2. Domitium Aënobarbum Caesaris interfectoribus adscribendum esse negaverim.
3. Drumanni sententia alterum, qui vocatur, triumviratum anno 36 prorogatum esse perversa est.
4. Alter, qui vocatur, triumviratus iniussu populi Romani prorogatus est.
5. Lycurgi, quae dicuntur, leges non ab uno homine scriptas, sed decursu temporum e civitatis Lacedaemoniorum condicione ortas esse contenderim.

VITA.

Natus sum Clemens Pagenstert prope Lohne, qui vicus in Magno-Ducatu Oldenburg situs est, a. d. XVIII Kalendas Decembres anni huius saeculi LX patre Clemente, matre Anna e gente Kokenge. Patrem praematura morte mihi ereptum esse lugeo. Mater integris adhuc viribus utitur. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus per novem annos discipulus fui gymnasii Vechtensis. Testimonium, quod vocant, maturitatis assecutus per bis senos menses in academia Monasteriensi studiis philosophicis operam dedi. Deinde in universitate Oenipontana per septies senos menses studiis theologicis me tradidi. Quibus peractis ab Illmo et Rmo episcopo Brixinensi Simone Aichner sacerdotio initiatus Berolini per sex menses, in academia Monasteriensi per quinquies senos menses studiis philologicis vacavi. Oenipontе me docuerunt V. V. D. D. Noldin, Limburg, Jung, Jungmann, Grisar, Biederlack, Nilles, Hurter, Tuzer S. J., Bickell, Pastor. Berolini interfui scholis doctissimorum virorum Huebner, Rothstein, Jastrow, Harnack, Bresslau, Wattenbach. Monasterii frequentavi scholas doctissimorum virorum Hagemann, Niehues, Langen, Stahl, Nordhoff, Lindner, Kaufmann, Fell, Lehmann, Diekamp, Jostes, Finke. Seminarii historici, cui praeest Niehues, per quater senos menses sodalis fui; exercitationibus geographicis, quae a Lehmanno habentur, per quater senos menses et exercitationibus palaeographicis, quarum moderator est Finke, per bis senos menses interfui.

Omnibus, qui me docuerunt, imprimis Niehuesio, de me optime meritis gratias ago, quas debeo, maximas.